

**Disquisitio circa vitam & mortem : dissertatio inauguralis medica ... / auctor  
Frid. Brümmer.**

**Contributors**

Brümmer, Friedrich, 1798-  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Th. Brüschcke, 1820.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eyqkz4s5>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISQUISITIO CIRCA VITAM

& MORTEM

DISSERTATIO

*INAUGURALIS MEDICA*

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. M. MAII. A. MDCCCXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**F R I D. B R Ü M M E R**

GEMENSIS - GUESTPHALUS

---

OPPONENTIBUS

BECKER, MED. STUD.

VERLAGE, MED. STUD.

---

BEROLINI TYPIS Th. BRÜSCHKE.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

V I R O  
PRAENOBLISSIMO DOCTISSIMO

MED. STUD. DIGNISSIMO

AMICO SUAVISSIMO

B. R A V E

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

AUCTOR.

## §. I.

### De generatione.

Generationis disquisitio proprie quidem ad propositum non pertinet; cum vero generationis ratio posteris lucubrationibus multum lucis offusura est, de ea pauca praemittere opus judicavi.

Quaecunque exstant de generatione opiniones, duabus omnino generalioribus subjungi possunt; — hypothesi puta evolutionis et epigeneseos. Qui evolutioni favent scriptores, nullam prorsus hodie generationem amplius locum habere contendunt, sed universum humanum genus in alterutrius protoplastorum genitalibus, germinum praeformatorum specie junctim praeeexistisse, eaque germina temporis progressu successive evolvi tantummodo asserunt. Hallerus, Bonnetus, Swammerdamius, Leeuwenhoekius et multi alii prioris imprimis saeculi scriptores, hanc hypothesin adoptarunt; in eo tantum, femininum semen an masculinum haec germina contineat, inter se dissentientes. Numeri vero, recte ut puto, evolutionis theoriam re-

probarunt. Ne dicam enim, quod minime probabile videri possit, omnes qui jam fuere et futuris saeculis vivent homines, unius avi genitalibus inclusos fuisse; alia vero phoenomena exstant, quae ex hac hypothesi omnino intelligi non possunt. Liberi e. c. nunc pātri nunc matri similiores sunt. Liberi parente altero Europaeo altero Aethiope natī nec patri nec matri similes sunt, sed inter ambos intermedii. Hybrida quae animantibus diversi generis vitam debent, non solum habitu externo sed etiam structura interna, partim patri, partim matri similiores sunt. Morbos et patris et matris in liberos transire vulgaris est observatio. 1)

---

1) „A patre visum est in filios continuari herniam  
„aneurisma, cataractas, has ad quintam usque ge-  
„nerationem, et olim in illustri Lepidorum fami-  
„lia ad tertiam; tum labium leporinum, tophos  
„et exostoses quae decimo anno erumperent, le-  
„pram topicam, hydatides pulmonum, strabis-  
„mum, contortos pedes, gibbum, stultitiam ad  
„quartam generationem, aptitudinem ad menses  
„per totum senium continuandos, scirrum, alios  
„morbos.“ —

Halleri elem. physiol. tom. Vlll. p 1. pag. 96.  
„Ex matre, crurum ulceribus perpetuo vere ob-  
„noxia, filium, et ex isto nepotem, cum cute pe-  
„dis, in illo, dextri, in isto vero sinistri, ad  
„malleolum crassiori, tensione, calore ac aliquo  
„rubore frequentius affecta, observavimus.“

Frank de cur. hom. morb. pars 4. pag. 113.

Partes demtae restituuntur, ut pili, ungues,  
interdum etiam ossa etc.

Neque raro observantur vegetationes animales  
in locis, quo secundum naturae normam non per-  
tinent, puta pilos, dentes, ossa etc. in ovariis, in  
ipsa glandula thyreoidea aliisve locis. 1) Animalia  
mansueta fertiliora sunt quam ejusdem speciei ani-  
malia fera. 2)

---

,. Calculosa princeps peperit infantem, cui 21 die-  
bus non adultiori calculus in vesica, et grandis  
fuit. Quartanae in fetus transeuntis exemplum  
est; ex matre clauda, puer claudus. Puellam sept-  
ennem, ex matre fluxu albo vitiata ortam, vidi  
simili morbo laborare. Ex duabus patritiis soro-  
ribus, ob divitias maritos nactis, cum vero fatuis  
essent proximae, novimus in nobilissimas gentes  
nunc a saeculo retro ejus morbi manasse seminia,  
ut etiam in quarta generatione, quintave, omnium  
posteriorum aliqui fatui supersint.

Halleri el. phys. tom. Vlll. p. 1. pag. 97.

- 1) Morgagni de sedib. et causis morbor. per anato-  
men indagatis lib. 3. ep. 39. art. 41.
- 2) „Das Hausschwein wirft gewöhnlich zwei mal im  
„Jahr, und dann wohl eher zwanzig Ferkel auf  
„einmal. Die wilde Sau hingegen nur einmal im  
„Jahr, und dann höchstens zehn Frischlinge, und  
„beide erreichen doch ohngefähr das gleiche Alter  
„von beinahe zwanzig Jahr. Eine ähnliche Diffe-  
„renz findet sich zwischen der zahmen und wilden  
„Katze; zwischen der Haustaube und der wilden  
„Holztaube u. a. m.“

Haec omnia et permulta alia phaenomena e theoria evolutionis explicari cum quadam veritatis specie non possunt. Epigeneseos vero hypothesi haec minime repugnant, sed omnia phaenomena simpliciter ex ea explicari possunt. Sed hic lectorem ad opera nuperorum potissimum de generatione scriptorum referto, ne nimis disquisitioni me committam, quae proprie ad propositum non pertinet. — Sed tamen de generatione spontanea pauca verba adhuc facienda sunt. —

Epigeneseos duae habentur species; epigenesis per mixtionem seminis masculini et feminini, et epigenesis per fortuitum concussum corporum externae naturae, sic ut animal nec quidquam ad generationem contulerit. Haec ultima generationis ratio vocatur generatio spontanea.

Generatio spontanea non adeo raro contingere videtur, quin imo Buffonius asserit, ex putredine et fortuito concursu particularum organicarum, omnino non pauciores fetus strui, quam e parentibus nascantur. 1) Entozoa in corpore animali absque ovis generari videntur, quia nonnisi in animalibus reperiuntur. 2) Byssus et agarici sub

---

Blumenbach Handbuch der vergl. Anatomie. pag.  
481.

- 1) Halleri el. phys. tom. Vlll. p. 1. pag. 108,
- 2) Prochaska Pysiol. Th. 2. S. 165.

talibus conditionibus interdum oriuntur, ubi semen eorum affuisse parum probabile est. 1) In intestinis fetuum entozoa repertæ sunt. Haec, similesque observationes generationem spontaneam pene ultra omnem dubitationis ansam posuerunt, quapropter nuperorum plurimi eam adoptarunt; cum ea vero restrictione, ut solummodo infimi ordimis animalia hoc modo gigni contendant. Nuperis vero observationibus docemur in pueris paucorum annorum, adeoque in pueris masculis fetus detentos fuisse 2) Nonne hi forsitan generatione spontanea orti sunt?

---

1) Prochaska l. c. pag. 216. 217.

2) „Seit Dupuitren die Geschichte des jungen Bis-  
„sieu, in dessen Körper ein unvollkommener  
„Fetus enthalten war, bekannt machte, sind durch  
„Joung, Fattori, Prochaska, Highmore mehrere  
„höchst merkwürdige Fälle dieser Art beschrieben  
„und abgebildet worden.“

et paulo post

„In der Versammlung der Londoner Gesellschaft  
„am 4ten März 1815 las Dr. Phylipp einen Auf-  
„satz über einen von ihm gefundenen Fetus vor.  
„Im Alter von zwei u. einem halben Jahr bemerkte  
„man eine harte Geschwulst im Unterleibe eines  
„Kindes. Verschiedene Mittel wurden, allein ver-  
„geblich angewandt, um die Geschwulst zu zer-  
„theilen, und als das Kind starb, ergab es sich,  
„, dass die vermeinte Geschwulst ein Foetus war“

Deutsches Archiv für Physiologie. 2ter Bd. pag.  
147 et 148.

§ 2.

De motu animali.

Omnis res quae innotescit, nobis certis signis se prodit, quae quum ipsa re superstite non cesserent, nominantur essentialia. —

Cum vita solummodo actione manifestetur, nec ulla, ut postea probare conabor, actio absque motu sit: gravissima biologiae quaestio est, qua ratione motus animalis oriatur. Citra motum enim alium vitae characterem essentialiem reperire non potui. —

Duo habentur motus modi; motus corporis cuiusdam versus aliud corpus, et motus partium corporis versus alias ejusdem corporis partes, qui motus ingenui nomine condonari potest. Ad hunc pertinent motus animales. Plures scriptores motum animalem a vi quadam peculiari deducunt, quam vim motricem, irritabilitatem etc. nuncuparunt, cujus naturam ulterius indagare nefas putavit Brownius ejusque sectatores. — Musculorum motus, de sententia cl. Prochaska\*) mere mechanice absolvitur; contractionem enim, invasione et accumulatione humorum in vasis ipsius musculi, progigni, simili modo quo funis humectatus con-

---

1) Opera minora pars I, de carne musculari.

trahitur et brevior redditur, aqua sua vacua intrante; contendit vir clariss: Certe vero hac mechanica ratione motus non procedit, ut quae celeritati, qua motus animales perficiuntur, minime quadrat. V. c. cor quavis horae sexagesima parte, septuagesies ad 80 valide sese contrahit; quodsi hoc ea qua Prochaska contendit, ratione absolveretur, mehercle sanguinis parva copia, quae ab arteriis coronariis substantiae cordis advehitur, non sufficeret. Nec minus cl. viri hypothesi obstat vulgaris illa observatio, qua, cor quorundam animalium a sauguinis contactu immune ac plane corpori excisum, tamen pulsare per non exiguum temporis tractum adhuc pergere, constat. —

Fluidum galvanicum e nervis in musculos influere ac horum partium constitutivarum ad invicem approximationem procreare, eodem modo quo scintilla electrica, fluida aërea, v. c. mixtum oxygenium et hydrogenium, cogere valet; contendit cel. de Humboldt 1). Haec vero sententia satis firmis argumentis non nititur; sed ignota potius nobis adhuc est ratio, qua nervi muscularum motum cieant; neque minus nobis latet, an musculi ad motum producendum nervorum actione

---

1) Versuche über die gereizte Muskel und Nervenfaser. 1 Bd. S. 398 - 400.

omnino semperque indigeant. 1) — Approximationem vero et attractionem inter partes constitutivas, admittere debemus, nisi forsitan sententiae cl. Prochaska, similive adhaereamus, qua muscularum motus modo mechanico oriri contendatur.

### § 3.

Vires illae motum procreantes interdum motum absque alia mutatione carent; quandoque vero mutationes corporum, novae compositiones, decompositions simul procreantur: Exemplo sunt, ferrum vi magnetica attractum, neque tamen ulla-tenus mutatum; — frustum Sacchari aquae pauxillo impositum, quae ad summum apicem usque ascendit, simulque saccharo se admiscet. —

In muscularum motu non solum vim attractivam vigere, sed una novas compositiones; decompositions produci, maxime probabile est.

Quaenam alia esset causa, quod animalia continuo labore exercita, majore nutrimenti copia in-

---

1) Mihi potius videtur, immediata incitamentorum in musculos actione, motus quoque procreari posse. In paralysi enim interdum nervorum actiones sublatae sunt, neque tamen musculi laborant, et contra; quae paralysis species medicis paresis et acinesia audiunt. — Musculi voluntati subjecti non raro invite convelluntur. Cor pro sui constante et energico motu paucis tantummodo nervis dotatum est etc.

digeant quam alia animantia, quae vitam quietam degunt; et quod illa majorem victus partem in substantiam muscularum commutent, cum haec tantum ad minorem animalisationis gradum nutrimenta advehant inque pinguem ea convertant? Lassitudo etiam laboribus insequens, atque post quietem vis aucta, de immutatione misionis et formae, quam corpus actione subiverit, explicandae sunt. Aliam enim sui mutationem corpus nullum admittit. —

Quo modo nervi in musculos agant, eorumque contractionem inducant; an mechanica tensione muscularum fibras ad sese contrahendum stimulent; an potius fluidum quoddam in musculos deponant, quod mihi probabilius videtur; — nondum satis perspectum habemus. — Nervorum substantia actioni mechanicae non sat apta esse videtur. Nec non lassitudinem, quam organa agentia quiescentibus impertiunt: — unde fit, ut post longum laboriosumque iter aliasve defatigationes, organa vocis etc. et ipsa mens, intensis declamationibus et meditationibus minus aptae sint; — potius a misionis mutatione sese organis quiescentibus impertiente, quam ab elasticitate aliisve qualitatibus mechanicis mutatis, utpote quae minus facile communicantur; — derivandam esse sentio.

§. 4.

Musculorum et aliorum quorundam organorum sat manifesta est motio; sed non ita est de omnibus. Quaedam organa usui tantum mechanico destinata esse motuque ingenuo plane carere videntur; ut ossa, ungues, rostra, ungulae, tendines, cartilagines, pili. Organa vero quae vitae munere revera funguntur, motu ingenuo carere non possunt. 1) Nervorum motus se sensibus nostris non manifestat quidem; sed inde concludere non licet, nervos dum agunt non moveri. Ne cogitari quidem potest, nervos perceptiones ad cerebrum usque perducere ac rursus a sensorio ad peripheriam, — motionis immunes. Nervi aliquamdin agentes hebecunt; supra modum irritati, paralysi afficiuntur et tabescunt; ut in amaurosi nervus opticus. Haec phaenomena perspicue ostendunt, actione nervi naturam quodammodo immutari, quod absque motu fieri non potest. — Nervus ligatus vel compressus, atque citra locum compressionis stimulatus; ultra eum locum actionem non producit. Hac enim pressione organi sensititatis (sit ipse nervus vel fluidum nervinum) motio sistitur.

---

1) Monere juvat, me nervi vocem physiologica significatione, sc. pro organo sensititatis, hic assumsisse. Parum curo an forsan fluidum quoddam nervinum hoc munere fungatur, et nervus (sensu anatomico) organon ipsum sensititatis tantummodo involvat.

§. 5.

De vita.

A primis inde temporibus de vita multa ac varia a phisiologis agitata sunt, sed tantum adhuc abest ut vitae naturam intelligamus; — ut vitae definitio omnibus scriptoribus unanimiter accepta, adhuc desideretur; quo venit quod quibusdam auctoribus eousque vita persistere videtur, quo actiones vitales et motus organorum desierint; alii contra contendant, vitam tam arctis confiniis inclusam non esse, sed non raro vitam per aliquod tempus persistere, actionibus jam omnino sublati. — Illorum vero sententia mihi vera videtur. Citra motum enim et actiones alia vitae signa essentialia reperire non contingit. 1) Absentia putrescentiae, utpote cuius praesentia, unicum quidem quod medicis sufficere potest mortis signum praebet; — vitae signis non est adnumeranda, quia etiam cadavera per aliquod post mortem tempus absque putrescentia sunt.

§. 6

Cuique corpori certae sunt vires inseparabili-  
ter connatae, nec mutari possunt, nisi ipsum corpus

---

1) „Wie kann man sich ein lebendiges Wesen vorstellen, ohne den Begriff irgend einer Bewegung in seinen Theilen.“

Fontana über das Viperngift, aus d. Frau. p. 63.

mutetur; decomponatur vel cum aliis se conjungat. Et contra corpus mutari non potest, quin simul vires mutentur. Quae perscrutari et melius cognoscere jam licuit corpora simpliciora, perspicue hanc sententiam probant, v. c. alcali causticum si diu aëri expositum indolem causticam ammittit, chemicis ratio ignota non est. —

Hic autem, qui inter corpus et vires intercedit nexus, semper non adeo perspicuus est, quin in dubium interdum vocatus sit; praeprimis in explicatione phaenomenorum in corporibus organicis contingentium. — Enimvero cum animal v. c. morbo afficitur; laesio chemica vel mechanica mortaliū sensibus raro perspicitur, aequē ac laesio machinae compositioris interdum non nisi oculis peritorum perspicitur. Plures igitur ill: auctores, ad vitam explicandam, vim peculiarem assumere quam vitalem vim plerumque nuncuparunt, necesse duxerunt. Alii hanc vim ulterius indagare dissuadent, alii iidemque gravissimi scriptores, vim esse asserunt, essentialiter diversam ab omnibus aliis naturae viribus, adeo ut has ipsas modulari et tollere valeat. 1) — Hujus autem hypotheseos proba-

---

1) „Lebenskraft ist eine, durch die ganze organische Natur verbreitete, und wesentlich von allen andern todten und chemischen verschiedenen Kraft.

et paulo post.

„Sie ist die Fähigkeit eines organischen Körpers

bilitati varia obstant. — Si verum est, (de quo non facile quis dubitabit qui argumenta pensitaverit) animalia re vera generari, non vero germina, jam omni aevo creata vique propria dotata, tantummodo evolvi: unde demum vim illam vitalem recuperunt? Parentes liberos illa impertire, poni non potest; — hoc enim fieri non posset absque magna hujus facultatis jactura in ipsis parentibus; quod autem non observatur, licet numerosae proli adeo vivaci vitam dederint. Neque caelibes et a coitu abstinentes, longiore vita viribusque validioribus gaudere, quam liberorum parentes, observantur. Sed jam faciamus, vim vitalem in ipsis animalibus evolvi, si disperdita est, denuo parari: quaestio se nobis offert, quomodo vis vitalis in animalibus paretur. Quum animalia constant corporibus externae naturae, quae corpori animali ingestā, in ejusdem substantiam conversa sunt: necesse

---

„Eindrücke als Reize zu perzipiren und darauf „nach ganz eigenen, weder in der chemischen „noch in der mechanischen Natur existirenden „Gesetzen zu reagiren.

„Sie ist die Fähigkeit des organischen Körpers, „selbst die Kräfte, Gesetze und Verhältnisse der „chemischen Natur zu verändern, zum Theil ganz „aufzuheben, zum Theil zu verändern.“

Hufeland Ideen über Pathogenie und Einfluss der Lebenskraft auf Entstehung und Form der Krankheiten. Jena 1795. pag. 49.

est, vires quae in ipsis animalibus parantur; iis corporibus eorundemque viribus exsistentiam debent. Cum hoc vero ita se habeat; patet, vim vitalem non esse essentialiter diversam a ceteris naturae viribus. 1) Emistione et forma, aut organisatione peculiari, vires quidem peculiares, solis animantibus concessae oriuntur, quin eo ab aliis naturae viribus essentialiter diversae sint, cum aequae ac aliae naturae vires a corporis conditione pendeant. 2)

Iis animalibus demum, quae sponte, (§. 1.) certa coalitione partium externae naturae orta sunt, nec aliis animantibus vitam debent; alias vires, quam e partibus pendentes, adscribi non possunt. —

- 
- 1) Omnes quidem vires inter sese essentialiter diversae sunt, pro vario ex iisdem procedente effectu; ideoque diversitatem essentialem quam soli vitali adscribunt auctores, hoc sensu intelligi non volunt; sed ita potius eorum opinio est interpretanda, ut vim vitalem a corpore, ejus partibus constitutivis, mistione et forma, nequaquam pendere contendant; et consequenter e duobus corporibus, nulla alia ratione inter se diversis, alterum ea particeps esse, alterum vero ea carere potest.
  - 2) „Das Leben ist eine Summe von Erscheinungen, „die von innerer Thätigkeit der mit der Organis- „sation unzertrennlich verbundenen Kräfte ent- „stehen.“

Ad dilectas auctorum sententias pertinet; — vim vitalem ceteras naturae leges, quibus corpora alias subjecta sunt, immutare et tollere 1). A veritate autem hoc valde aberrare videtur, naturae enim leges aeternae sunt, nec mutari aut tolli unquam possunt, semper vero sub iisdem conditionibus eosdem effectus edunt; ideoque solum vires naturae organicae à viribus naturae inorganicae discrepant, quod in utraque propriae et maxime ab invicem diversae structurae et misiones praesto sunt. — Praecipuum adhuc, quo scriptores peculiarem virium vitalium naturam probare student, argumentum: quod scilicet actiones vitales, ex aliis naturae viribus explicari non possint: ad plurima etiam inorganicae naturae corpora valet. Num potest v. c. effectus ammonii in organa olfactus e partibus constitutivis ammonii explicari? Nonne demum experientia docemur, vegetationes animales interdum post mortem, ideoque absque illa vi vitali, per haud exiguum tempus adhuc pergere? Ungues et crines post mortem adhuc increvisse non rarissime est observatum; et sacerdoti appoplexia de mortuo, post octo annos barba ad demidium usque pectus increverat, 2)

---

1) Hufeland l. c.

2) Gruner's Almanach für Aerzte und Nichtärzte, für das Jahr 1787.

## De incitamentis.

Quaecunque in organon receptivitate instruc-tum, agentia, hujus actionem provocare valent, incitamenta audiunt. — Incitamenta ad actiones provocandas maximi quidem momenti sunt; quamvis sententiae multorum scriptorum; actiones omnino absque incitamentis non progigni, 1) subscribi non possit. Quanquam enim contraria sententia ad evidentiam probari non potest; analogia tamen à mortua natura capta, nec non quaedam phaenomena in corporibus viventibus contingentia, ei fa-vent. — Omnia fere mortuae naturae corpora compositiora, quo praesertim cadavera animantium et plantarum pertinent demum mutantur et cor-rumpuntur, licet adeo ab aëris attactu aliisque in-fluxibus externis muniantur. Immo nil obstat, quin etiam processus chemicus inter partes corpo-rum viventium absque omni alio influxu aut inci-tamento vigeat; praeter quem vero ad actiones pro-vacandas nil requiritur. —

Plures actiones, saltem absque evidenti stimu-lo perficiuntur, v. c. couulsiones, variaeque ner-vorum affectiones morbosae, quae non raro con-tingunt, quin incitamentum omnino inveniri

---

1) Hufeland l. c. pag. 144.

possit. — Cor animalium quorundam, ex corpore excisum, ideoque proprio et assueto incitamento orbum, nihilominus in actionibus per non exiguum tempus pergit. Experiri volui an etiam in vacuo Toricelli pulsare perget, doleo vero me apparatus destitutum fuisse. 1)

Si absque incitamento nulla omnino actio esset; difficile est intellectu, quomodo corpora vita destituta adhuc vegetationes animales producere possint (§. 6), quum in iis omnis demum incitatio cessavit. — Exempla etiam multa exstant hominum, qui, non omnino quidem absque incitamentis, tamen absque nutrimentis diu vixerunt. Hallerus exempla refert hominum, qui quinque, sex, septem quindecim, sedecim, viginti septem diebus; quatuor, sex, octo mensibus; triginta quinque septimanis; tredecim, quatuordecim, sedecim, triginta mensibus; tribus, quatuor, sex, septem, octo, de-

---

1) Conjicio equidem cordis actiones non statim sisti in vacuo Toricelli, sed tamen negari non potest, aërem cordi esse stimulo. Luculentissime hoc sequenti observatione comprobatur: Cl. Fontana testudini necatae scutum abdominale demsit, pectus et pericardium aperuit. Cor quod jam pulsare desierat, ita aëri expositum denuo pulsacre incipit, scuto vero reposito desiit, iterum demto motiones iteravit; et hanc operationem Fontana cum eodem effecu adhuc pluries iteravit.

Fontana über das Viperngift, aus dem Franz. pag-  
313.

cem, octodecim annis, a cibis abstinuerunt; virgini septem diebus spiritum non duxerunt 1) etc. — De fide harum relationum, Hallerus his verbis sententiam dicit: „Neque si fraudulentae aliquae historiae intercedunt, quarum aliquam ipse vidi, neganda fides est veris rerum documentis, cum praeterea nuperis temporibus summa cum cura observati homines, vere absque cibo, potu et excrementis, diu vixerint. 2)“

### §. 8.

## De aetate.

Annum seriem vulgo aetatis nomine condonarunt; physiologis vero nomine aetatis venit certus status elaborationis organorum. — Haec proba ab invicem distinguenda sunt, praesertim cum corporis elaboratio (aetas physica) et annorum series (aetas chronica) raro eodem passu ingrediantur. Exemplo sunt permulti, imprimis nostra aetate, juvenes, qui ante tempus senuerunt, et pauci illi aetate senes, qui viribus adhuc juvenes sunt. — Verum non solum aetas aut lentiori aut citiori passu ingredi potest; sed aliter adhuc se quandoque habere videtur; quum nempe aetas physica non

---

1) Halleri el. physiol. l. XIX, S. II, §. VI.

2) Halleri el. phys. l. c.

solum non progrediatur, sed potius in priorem vi-  
tae periodum revertatur. —

Cum plurima et in aliis alia sint aetatis pro-  
vectioris incommoda, eaque naturalia dicuntur;  
quae, si aetate juniores iis corripiuntur, morbi au-  
diunt: — Ipsos hos morbos, aetatis progressum,  
ex iisdem recuperatio, aetatis retrogressum non  
immerito nominarent. — Sed alia demum ex-  
stant exempla, quibus docemur, nonnunquam fa-  
cultates, aetatis juvenilis recuperari, quas annorum  
copia diu sustulerat. —

Valde vetulae signa fecundae juventae dede-  
runt, lac in mammas rediit, de utero menses flu-  
xerunt. Canis et calvis demum creverunt novi et  
colorati capilli, etiam anno centesimo primo et cen-  
tesimo decimo quarto, Dentes renati sunt, aut  
soli, aut cum capillis, aut in eadem anu mammae  
firmae, novi dentes, nigra coma, mensesque redie-  
runt. Oculorum usus redditus, ut senes conspi-  
cilla abjecerint, quibus diu essent usi; ad vulgares  
pertinet observationes. Cum novis dentibus, crines  
renati sunt anno 110. A febre barba fulva rediit, vigorque  
venereus. 1) Ex hisce videre est, senes interdum val-  
de repueriscere; — utpote sub eo nomine nil aliud In-

---

1) Halleri el. phys. tom. 8. p. 2. p. 84.

Kerkeringii specileg. anatom. obs. LXXXVIII.

telligi potest, quam restitutio facultatum et proprietatum aetatis jam praeterlapsae. — Veteres idem arte attingere contenderunt, et eo proposito balsama varia, liquores vitae, aurum potabile, transmutationem sanguinis etc. laudarunt; sed metam non attigerunt. Itineribus, climatis et aëris mutatione aliquid obtineri posse, censuit Baco. 1)

§. 9.

### De morte

Ex antecedentibus non difficile est eruere, quid sit mors. — Cum vita absque motu non sit et motus attractione et repulsione particularum, certaque earum compositione ac decompositione chemica, oriatur; (§ 3) cessationem motus ejusque causae, mortis nomine condonandam esse duco 2).

---

1) Halleri el. phys. t. 8. p. 2.

2) „Wie kann man sich ein lebendiges Wesen denken, ohne den Begriff irgend einer Bewegung in seinen Werkzeugen.“

Fontana über das Viperngift.

„La cessation complète de toute action c'est la mort.“

Oevres de Tissot tome X p. 20.

„Ich gestehe aufrichtig, dass ich mir beym Scheintod keinen völligen Stillstand jener beiden Funktionen (Respiration und Puls) denken kann, sondern nur eine so sehr schwache Action, dass

De sententia eorum, qui mortem ab interceptione vis propriae a corporis conditione non pendentis, deducunt; nil amplius dicam; cum jam antea talis vis exsistentiam reprobare studuerim. — De praesentia mortis quidem tum demum certiores facti sumus, cum jam putredo supervenerit; quia omnia alia mortis signa fallunt. Fateri tamen est, putredinem magis esse signum mortis jam provectionis, quam vitae modo extinctae. Nec certo post mortem tempore putredo prodit; adeo ut medicis notissimum sit, modo citius modo lentius cadavera in putredinem abire.

§. 10.

### An a morte in vitam redditus.

Cum de mortis natura sententiam dixerim, inquire adhuc superest, an reviviscere possint corpora. Hoc vulgo ab iis negatur, qui vim vitalem independentem esse a materia statuunt. Si vero vita e corporis certa mistione et forma oritur, uti

---

„unsere Sinne sie nicht erreichen können. Ein „völliger Stillstand wäre der wirkliche Tod.“

Metzger über die Kennzeichen des Todes etc. p. 8.

„Wenn die organischen Phänomene aufhören, so „ist das stets ein Zeichen des allgemeinen Todes.“

Bichat über Leben und Tod, in einen vollständigen Auszug gebracht von Herholdt und Rafe, übersetzt von Pfaff. 2ter Th. S. 3.

in his pagellis probare conatus sum; videre omnino non esr, cur qnaestio neganda sit, cum arte adeo permulta corpora, animalibus quidem simpliora, ad libitum componi, decomponi possint. — Verum non solum resurrectio rationi non repugnat, sed experientia ultro confirmatur.

In quibusdam animalibus certis anni temporibus actiones languidiores fiunt, circuitus sanguinis lentior, respiratio minima etc. Alia vero animalia omnino emori videntur, et post aliquid temporis in vitam redeunt. In animalibus hibernantibus circuitus sanguinis pene nullus est, ut etiam sanguis frigescat. 1) Haec vero animalia ita constructa esse videntur, ut abolitis actionibus ad vitam necessariis, non valde mutentur, ut in vitam facilime redire possint; quo etiam venit ut sub antlia pneumatica non facile irrevocabiliter moriantur. 2) Insecta ut hieme nil amittunt, ita nihil edunt, ut polypi, vespa, hirudines in aqua servatae, pisces in limo sepulti aut in sola aqua. 3) — Dici quidem non potest, haec animalia vivere desiisse; (si ea solum excipiam, quibus, monente Hallero, hie me sanguis frigescit) veruntamen vitam debilissimam trahunt, Alia vero sunt exempla animanti-

---

1) Halleri el. phys. L. XIX. S. II. §. VII.

2) Bernoulli anthropologie 2. Thl. S. 44.

3) El. phys. auct. A. v. Haller.

um revera mortuorum; quae vel casu interierant, vel experimenti causa necabantur, et nihilominus vitam recuperarunt. — Buffones magno solidoque saxo inclusi ad aërem vitam receperunt. 1) Cel: Fränkl in vino madeirensi, quod secum iu Americam transtulerat, plures submersas, necatasque muscas reperit; quae solis radiis expositae, brevi iterum revixerunt. 2) In regionibus Peruvianis, anguillam vivere, trodit Bouguer, (testibus regio-  
num incolis et Petro Guneillo) quae mortua, aë-  
reque aut fumo siccata, demum per aliquot dies aquae putridae immersa, reviviscit. 3)

Gordius omnino exsiccatus, ut volumen et longitudo maximopere imminutae essent, nec unicum vitae signum amplius ederet; postquam per semihoram aquae immersus esset, solitum volumen er pondus recepit, et paulo post signa vitae recu-  
peratae dedit. 4) Quidam polypi ita exsiccati, ut a glutinis siccati gutta distingui non possent; alia-  
que animalia permulta in statum redacta, quo ac-  
tiones vitales adhuc vigere omnino non poterant,  
in vitam redierunt. 5) Insectorum multorum pu-

---

1) Göttinger gelehrte Anzeizen auf das Jahr 1796.

2) Lichtenberg's Physikalische und mathematische Schriften. 1. Bd. S. 476.

3) Fontana über das Viperngift, aus d. Franz. S. 61.

4) Fontana l. c. pag. 62.

5) Fontana über das Viperngift.

pae hiemis frigore ita congelascunt, ut stiriae aut vitri adinstar tinniant, si in corpora duriora prolabuntur; nihilominus reviviscunt dummodo a glacie liberatae sint. 1) — Anschelius ranas quadraginta, quarum duas vel tres unum vas bene amplum et magnum, aqua usque ad demidium repletum, tenebat, frigoris gradui, quo aqua congelascere incipit, exposuit. Post 48 horas, frigore sensim aucto, atque omni aqua in glaciem commutata; ranae membris extensis, rigidae in vase medio compressae fuerunt. Quindecim horis post, vasis ad locum circiter 84 Fahr: appositis, cum glacies liquefieri inciperet, ranae omnes tribus exceptis, pedibus glacie sensim perrupta, artus moventes integræ et salvae se efferebant. 2) Eadem observatio jam anno 1783 Blumenbachio se casu obtulit. 3) De lacertis lacustribus du Fay jam

---

1) Blumenbach's Naturgeschichte.

2) Salomonis Anschel Thanathologia. p. 21.

3) „Ranam arboream, quam aliquamdiu in hypo-  
„causto servaveram, quodam mane (21 Dec. 1783)  
„post subito ingruens nocturnum frigus, quo vi-  
„cinum thermometrum ad 30 Fahr. decederat,  
„congelatae aquae plane immersam et eidem fere,  
„ut insecta in succino inclusam deprehendi, im-  
„mobilem ut per se facile comprehenditur, clausis  
„palpebris etc. quae nihilominus praeter omnem  
„meam expectationem, soluta sensim glacie ita  
„quoque ad se redire cepit, ut crura postica pri-

idem oservavit initio saeculi praeterlapsi. 1) Cum de observationum veritate, ut quae a multis iisque veracissimis auctoribus relatae sunt, non facile quis dubitare possit; a morte resuscitatio omnino fieri posse, experientia confirmatum esse videtur. Ignoratum mihi non est, plures physiologos, a morte resuscitationem non concedentes; ratione habita observationum supra allatarum similiumque; facultatem vivendi iis animalibus adhuc inesse, contendere, quae, licet nullam omnino actionem amplius proferant, postea tamen reviviscunt. — Utique ea facultas adest; an haec vero obstat, quin animal sola hac facultate dotatum, mortuum dicam? Fere omnia organicae et inorganicae naturae corpora hac facultate gaudent, quum non solum digestione in corporis vivi partes converti possint, sed etiam immediato eorum concursu plantae et animalia interdum gignantur.

---

„mo liquecente ea glaciei parte cui inhaerebant,  
„prima quoque movere et convellere inciperet,  
„capite interim cum trunco adhuc reliquae glaciei  
„arctissime infixis, qua etiam liquata, totum ani-  
„malculum vegetum restitutum diu posthac su-  
„pervixit.“

Blumenbachii specimen physiologiae comparatae in animantia calidi et frig. sanguinis, pag. XX.

1) Blumenbach l. c.

§ 11.

Immo vero quidam auctores consentiunt, cadavera animantium inferioris ordinis vitam interdum recipere, neque tamen concedunt, idem esse de animalibus perfectioribus affirmandum. Iam fac hanc restrictionem a vero non aberrare; cum tamen vires vitales in diversis animantibus, diversas esse, non facile contendi possit; jam patet animalia mortua nobiliora reviviscere etiam posse sed in iis momenta ad vitam recuperandam requisita difficilius convenire. — Verum quidem est animalia jam demortua perfectiora difficilius rariusque in vitam revocari. Iam ex eo concludi hoc potuit, quod animalia perfectiora magis composita artificiosiusque constructa sunt; quo fit ut essentialis quidquam in iisdem potius destruatur, quin facile reparari possit. — Interdum vero etiam animalia nobiliora et ipsos homines vitam recipere jam sublatam, verosimillime est.

Exempla quo homines denuo vixerunt, qui nullum omnino vitae signum prodiderant, in libris medicis permulta relata sunt; unde natum est axioma medicum, citra putrescentiam nullum certum esse mortis signum. Nonne inde concludere licet, ipsos homines non rarissime reviviscere, cum actionibus jam abolitis, respiratione, pulsu, calore, artuum flexibilitate etc. sublatis, tamen in vitam redierint. —

Putredo vero ad essentialia mortis signa non pertinet, cum plerumque non in ipso extinctionis vitae momento, sed morte jam proiectiore invadat, nec cadavera congrue tractata unquam in putredinem abeant, ut mumiae Aegyptiacae. — Quin imo Hallerus ipsam putredinem pro incerto mortis signo habet; 1) neque minus Plenkius (in medicinae forensis elementis) applecticos et submersos restitutos esse affirmat, qui, respiratione penitus suppressa<sup>1</sup>, arteriis et corde non pulsante, corpore rigido algente sensibus privato, sanguine in ore dissoluto, eoque e vena haud amplius fluente, oculi cornea relaxata, odorem sparsissent cadaverosum. — Omnibus hisce computatis, verosimilime videtur, etiam homines demortuos, non raro vitam recuperare; quamvis hoc ita probari non possit, ut de animantibus quibusdam inferioris ordinis; quia in hominibus vitam recuperantibus, exiguum nec perceptibilem cordis ceterorumque organorum internorum actionem, semper affuisse contendi potest. Si vero lumine incorrupto

---

1) „Ne putredinis quidem initia pro certo mortis signo admitto, quae etiam in vivo sed morituro homine, non rarissime tanta praesto sunt, ut mortem propriam se olfacere Vandenhoekius, Bibliopola meus, nimis verax mihi affirmaverit, cum ex pessima febri miliari decumberet.“

lustrantur observationes jam allatae, sexcentaeque aliae in medicorem libris dispersae; maxime probabile videtur, interdum homines vitam recuperare, cum actiones vitales jam plane desierant.

§. 12.

Ut vitae plures gradus et periodi habentur, ita est de morte. Ille vitae status in quo organa energia et harmonia minima agunt, infimus vitae gradus mihi audit. Mox cum omnes vitae actiones desinunt, primum mortis stadium est; in ultimo stadio totum corpus in sua elementa dilabitur. Hisce extremis multa stadia intermedia sunt.

Mors vero uti vita, non semper cum tempore eodem passu progreditur; res enim notissima est, corporis habitum, mortis rationem, morbos pрагressos, tempestatem, atmosphaerae conditionem, variaque alia quam plurimum ad citiorem aut lentiorem corporis solutionem conferre. Observationibus jam supra prolatis non solum animalia a primo mortis gradu in vitam revocari posse, docemur; sed etiam a morte jam proiectiore reditum non omnino praigclusum esse. Quis enim contendet, animalia exsiccata, ut volumen, pondus justamque formam amiserint; (§. 10,) et alia ita exsiccata ut glutinis siccata guttae similia sint; primum mortis stadium non esse transgressa, Ipsos homines a morte proiectiore interdum revocari, Plenkii affirmationibus (§. 11.) probabile redditur. Licet enim putredo in vivis adeo hominibus ob-

servata sit; si alia mortis signa, ut respiratio, cordis arteriarumque pulsus suppressi, corpus algidum et rigidum sensibus privatum, cornea relaxata etc. simul adsunt; negari non facile poterit, non solum adesse mortem, sed etiam primum mortis stadium jam esse praeterlapsum. Fateri tamen est, morte jam ita adulta, recuperationem vitae rarissime contingere; cum contra vitae mox extinctae redditus non adeo raro evenire videtur; imprimis cum diutinus mistionemque valde inficiens morbus non praecesserit. Suffocati ideo, suspensi, nervorum malis demortui, facilius in vitam revocantur, quam confecti phthisi, tabe, febre, aliove morbo quo sistema reproductionis valde turbatur. Systemate enim reproductionis laborante, fieri non potest, quin mistio totius corporis ei pedisequa valde afficiatur.

---

CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
BEROLINENSIS  
ADIECTUM.

---

Ego Fridericus Brümmer anno 1798 a. d. 29 M.  
ianuarii patre Friderico Brümmer, matre Iohanna  
Mensinck Gemenae Guestphalorum natus, anno  
1810 Gymnasium Dorstense petii, ubi litteris quae  
ad humanitatem pertinent, per quinque annos ope-  
ram dedi. Anno 1815 a. d. 11 M. Novembris  
civibus Universitatis Monasteriensis adscriptus, his  
interfui praelectionibus: Cel. Laymann de Logice  
et Psychologia, Cel. Rohling de Physice, Astrologia  
et Atmosphaerologia, Cel. Wernekink de Botanice  
et Historia naturali, Cel. Bodde de Chemia, Cel:  
Sentrup de Osteologia et Anatomia. In arte cada-  
vera dissecandi, Cel. Wegehausen praceptor usus  
sum. Cel. Siebenbergen audivi de Physiologia, Cel  
Bodde de Materia medica, Toxicologia et arte for-  
mulas medicas consribendi, Cel. de Druffel de

Pathologia et Therapia tam generali quam speciali  
Cel. Haindorf de Chirurgia generali specialique,  
nec minus de arte obstetricia, Cel. Sentrup de Me-  
dicina forensi et de cognoscendis curandisque ocu-  
lorum morbis, Cel. Wegehausen de chirurgia dis-  
serentes.

Bello exorto in nosocomio Monasterensi chi-  
rurgi munere functus sum.

Vere A. 1819 Berolinum me contuli ubi a.  
d. 1 M. Maji a Rectoré h. t. Magnifico Weiss civi-  
bus academicis adscriptus, lectionibus interfui Ill:  
Rudolphi de Encyclopaedia medica deque Anato-  
mia comparata, Cel. Horkel de Physiologia, Cel.  
Osann de materia medica, Ill. Chr. Guil. Hufer-  
land institutionibus medicinae practicae, unaque  
Ill. Formey audivi de cognoscendis curandisque  
morbis chronicis disserentem, nec minus doctrinae  
de fracturis et luxationibus operam dedi duce Clar:  
Kluge. Sub finem Studiorum meorum, ut medi-  
cinam et chirurgiam ad aegrotantium lectulos ex-  
ercerem Clinica tam medica quam chirurgica Vi-  
rorum Ill. Behrends, Graefe, Rust, nec minus Clar:  
Neumann, qua par est assiduitate frequentavi.

Tentamine, examine rigoroso et cursu anato-  
mico - chirurgico absolutis, spero fore, ut hacce dis-  
sertatione publice defensa, summi in medicina et  
chirurgia honores in me conferantur.

---

---

## **THESES DEFENDENDAE.**

---

1.

Vis vitalis a ceteris naturae viribus essentialiter diversa non est.

2.

Corporum organicorum vita penitus sublata, sub certis conditionibus recuperari potest.

3.

Nullam unquam actionem absque incitatione perfici, omnino probari non potest.

---